

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Minerva, sive de causis latinae linguae commentarius**

**Sánchez, Francisco**

**Schoppe, Caspar**

**Perizonius, Jacobus**

**Franequera, 1687**

Generosissimo magne indolis & exspectationis viro, Sicconi a Goslinga [...]  
Neobilissimi amplissimi viri Johannis a Goslinga

[urn:nbn:de:bsz:31-109138](#)

**G E N E R O S I S S I M O**

Magnè Indolis & Exspectationis Viro,

**SICCONI à GOSLINGA,**

In Collegium Præfectorum Rationibus Frisiæ adscito.

Nobilissimi & Amplissimi Vivi.

**JO HANNIS à GOSLINGA,**

Franequerano agro Præfecti,

Honoribus quamplurimis in patria præclare gestis & gerendis incluti Filio Unico,

S. P. D.

**J A C. PERIZONIUS.**

**N**on ex longinquo mibi apud Te,  
Vir Generosissime, petendam con-  
quirendamve arbitror sollicitam  
caussarum præfationem, quibus  
impulsus hoc, quicquid est operis, ad Te  
detulerim, quum eæ in promptu sint & obviae  
cuilibet, qui Te meque norit. Si quid heic  
præfandum accuratius, hoc illud foret, quod  
splendidum Nominis Tui prætextum ad ob-  
scuram hanc Grammaticarum disquisitio-  
num, seu telam, seu laciniam advocave-  
rim. Sed non aliud miki nunc suppeditebat, quo  
tibi de salvo in patriam ex peregrinatione per  
Angliam & Franciam reditu gratularer. Et  
ta-

tamen volebam omnino publicum extare aliquod mei non modo erga Te studii & obser-  
vantiae, sed & sinceri monumentum gaudii,  
quod soſpes & in columis ad Tuos te recepiſ-  
ſes, & totus jam te devoveres ac dederes  
Reip. quæ jam ante tuam profectionem, ut  
ſi ſuum in Te retinendo ſtudium rebus ipſis  
declarare, & ideo Te vinculis quibusdam  
& compedibus ceteroqui non ingratis de-  
vincire ſibi prorsus voluiſſet, contuliffe jam  
tum in Te videtur amplum ſane & decorum  
illud adſpiciendarum curandarumque publi-  
carum Rationum munus, quaſi quoddam  
Honorum Tibi porro ab ea deſtinatorium, &  
ſuſtinendæ deinceps Dignitatis rudimentum.  
Nam certe alia & longe etiam majora Tuis  
Natalibus, & maxime Tuis animi dotibus  
ut debita, ita certo eventura ab ipſa Rep.  
ut quæ jam in ſuæ de Te opinionis & exiſtima-  
tionis declarationem, ſuique erga te animi  
quaſi quoddam pignus & firmamentum iſta  
Honorum Initia tibi ultro ingeſſit, nulli du-  
bitamus. Interim dum hæc Fortunæ tuæ &  
Dignitatis incrementa liquido plane augurio  
jam præſagimus omnes, patere me heic in pu-  
blico coram omnibus elata voce favere illi ex-  
ſpectationi, quam de Te ipſe concitasti. Patere  
prædicari meæ disciplinæ in hac Aca-  
de-

demica primitias ex flore Friesiacæ Nobilitatis, ostentarique aliis Tui Ordinis & Loci Adolescentibus exemplum, ad quod se, suamque vitam & studia componant. Patere publica me hic professione defungi, quid tibi tribuam non amoris modo & studii, sed vel maxime judicii, ut qui præclarum ingenii Tui vim, generosam Animi indolem, præcipuum liberalium discipinarum studium, satis explorata habeo, & præ aliis habere possum. Quo jucundius etiam mihi accidit, quod amicitia Tua & familiaritate jam primæ & constanter adeo me dignaris, completerisque benevolentia & studio prorsus prolixo, rebus etiam ipsis suffragatione Patris tui, Viri Amplissimi, ornatum. Serva mihi hunc animum, hanc voluntatem; & servabo Tibi in sempiternum omnia justæ observantiae & fidei studia, officia, obsequia. Præsta Reip. exspectationis de Te nostræ fidem; & illa præstabit Tibi sine ulla tergiversatione, quicquid Tuis meritis est debitura: agnoscet & excitabit, quod in Te habet bonum, Virtutes tuas excolet, fovebit, venerabitur: Sic velit & faxit Deus! Vale & rem tuam ac publicam feliciter gere.

Franequeræ. a. d. VI. Kal. Martias c<sup>o</sup>  
ccc LXXXVII.

Præ-